

PLURIMUM REVERENDO,
EXIMIO,
AC
DOCTISSIMO VIRO;
D. JOANNI BENDER,
ANIMARUM PASTORI,
IN
BRECHENA INFERIORE
ZELOSISSIMO,
Nec non
VENER. CAPITULI RURALIS DIETKIRCHENSIS
CAMERARIO PRIMO DIGNISSIMO,
Domino Fratri, ac Curatori meo
Beneficentissimo.

PLURIMUM REVERENDE,
EXIMIE, & DOCTISSIME DOMINE,
UTRIUSQUE VINCULI FRATER

Amande, Dilecte, Colendissime,



ecta scribitur linea, quam dicit sincerus amor, nec
est rutilantior ullus apex illo, quem format cala-
mus sacro dilectionis fraternæ encausto potatus.
Scis, Plurimum Reverende, Amandissimeque
Domine Frater, quia amo Te intime, amansque
Tibi, etiam ut Patri, obedio; nam ego vicissim scio,
gratique mente recognosco, Te verum à teneris Pa-
trem extitisse mihi, parentibus nostris, heu, præmature nimis orbato:
Trophimum nutrivi alter quasi genitor, educasti pupillum legitimus
Tutor, curas adhuc rem meam optimus Curator: propter quæ insignia
beneficia Tibi à me deberi duo simul hæc paginæ profiteor, neutri confi-
dens me unquam defuisse, amorem scilicet, & obedientiam, reverentia
plenissimam: amare sufficit, ut obediatur; imò frater non amat fratrem,
qui fratris auxilia semper querit, consilia requirit nunquam, monita
contemnit; qui suæ innixus prudentiae junior systemata pangit, seniori
fratri, non consulto, exequenda committit. Absit talis à me animus:

us amor, ne
format cal-
lo potatus,
dissimileque
, amanque
cicissim fici
à tenere Pa-
nium orbato
um legitima
que insigni
, nentri confi-
n, reverend
onat fratre
num, omnia
avag, levi
me amabo:
amabo juxta, & parebo, cordis erga Reverendam Fraternitatem Tuam
gesturus plurimum, capitis nihil. Quām verò Tuæ Directioni, me
ad Alnam, & antiquissimam Facultatem Trevirorum juridicam
mittenti, hactenùs frequentando, ac pro viribus studendo, paruerim, co-
nabor ostendere præsenti specimine propositarum Thesum, quarum ut
non minùs esse digneris Patronus eximius, quām es mihi bonus, charūf-
que Pater, submissè rogo; & quanquam pro sancto, quo ardes, zelo pasto-
rali plus cupidus esse dignoscari animarum, quām monetarum; in ali-
quale tamen antidoron accipe vetustos quatuor nummulos Turonenses,
qui Benefactor benignus subministras mihi novos denarios Trevirenses,
illud sequens S. Ambrosii apophtega: Aurum Ecclesia habet, non, ut
servet, sed, ut eroget: quo charitatis ordine eroges facultates tuas, non
est meum suggerere; ipsa enim sibi charitas lex, ordo, & ingenium est,
quod se nescit præveniri, vel moneri: Nec rogo superbus mutuum, sicut
multi fratres, nihil reddituri; nec reddere pro me erogata cogito, quia
non aliter accepi, quām beneficium, sciens, solutionem Tibi placere illam,

*quæ pro dantis parte excludit pœnitentiam, pro accipientis oblivionem.
Accepta igitur, Bone Frater, verius optime Pater, istam amoris plenam
dedicationem: debebatur hæc cum præferentiâ Tibi, quia totus, si san-
guinem primum, & lac uberum dempsero, Tibi ab inchoatâ, & balbu-
tiente ætate debeor. Prece Superos concalente pulso, ut diutissimè serve-
ris Ovili Tuo, Tibi, mihique, qui sub tenerrimo beneficę manū osculo,
perennique veneratione, donec spiritus hos reget artus, constanter amabo,
parebo, ero, moriar*

Reverentiæ Tuæ colendissimæ, dilectissimæque

*Naturā frater, Educatione filius,
Patrocinio cliens, mancipatu servulus
obsequientissimus HENR. IGN. BENDER.*